UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis, quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, & praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque obeundi

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Oratio ad SS. Angelos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-50863

Visual Library

caſtitate Angelum , amore tui flagrantem Seraphinum. O Ignis qui ſemper ardes, & nunquam extingueris ! accende me, ut diligam te ex tota mente, & ex tota fortitudine. Amen.

Oratio ad B. Virginem pro aſſiſtentia.

ASſiſte mihi, obſecro, O piiſſima Virgo Mater , & veluti Magiſtra Sapientiæ doce me, eâ devotione ad aram accedere, quâ tu ad cunas Domini accedebas; eâque reverentiâ & charitate Filium tuum tangere, elevare, ac tractare in Sacrificio, qua tu eum tractabas in ſtabulo Bethlehemitico ac Nazarethana domo, ut gratias & favores tibi exhibitos deguſtare merear. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Oratio ad SS. Angelos.

ASſiſte mihi celebraturo Sancte mi Angele Tutelaris , cum tota multitudine militiæ cœleſtis , quæ in Natali Domini canticum gloriæ in excelſis cecinit, & Paſtoribus gaudium magnum evangelizavit, ut Verbum incarnatum non pannis involutum, ſed panis accidentibus tectum in ara inveniam, ut cum Paſtoribus magni...

hujus gaudii particeps efficiar. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen

Oratio ad Sanctum hodiernum.

Adeſto quoque mihi, O Sancteglorioſe N. & efficaci patrocinio tuo hunc à Nato Salvatore favorem exora; ut feſtis hiſce natalitiis, eâ mentis illuſtratione, voluntatis ardore & ſpiritualium gaudiorum abundantiâ, divina myſteria peragam, quâ tu in terris degens eadem peregiſti. Per eundem Chriſtum Domin. noſtrum.

SUB SACRO.

Sacrificium perage, veluti in ſtabulo Bethlehemitico coram B. V. S. Joſepho S Angelis, Regibus, & Paſtoribus: atque obſerva, quomodo oculi & animi omnium in Chriſtum tanquam Magiſtrum intenti, ut cœleſtem ſapientiam ab eo hauriant. Imitare, & toto ſacrificij tempore defixis in Salvatorem mentis oculis & auribus, vide quid agat, & auſculta quid loquatur in te Dominus: ſub Introitu, Gloriâ, Evangelio, aliiſque Miſſæ partibus, ac præſertim ſub Elevatione & Communione, ac

poſtea